Quelle: http://manuscripta.at/?ID=887
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Aliquid de inquisitione capacitatis figurarum et quibusdam arismetrias desiderans / Dico quod figure capacitas duplex quantum ad presens sentitur / uno modo superficies tantum et sic est planicies, area, podismus, campus, spacium, pedatura, fundus, embadum seu superficies figure absoluta vel linea seu lineis inclusa / Alio modo est tota moles solidi in relatione aliqua mensure eam mensurantis considerata etc.

Et quia circulus est figura omnium figurarum simplicissima, una enim tantum ut vult Euclides in principio suorum elementorum linea continetur. A qua ideo nos in initio ut testatur dominus Moyses in principio suarum penthadomacum ille universalis opifex cunctum mundi opus incepit. Ab illa ipsi et hic principium facere nos in divine complacuit

.i. Dati circuli centrum invenire / Sit circulus datus .a.b.c. in quo ducam lineam rectam extremitates suas circumferencie circuli applicantes quomodocumque contingat que sit .a.c. / quam per 10 primi Euclidis divida per medium in puncto .d. a quo puncto per 11 eiusdem primi duco perpendicularem ad lineam .a.c. quam applico circumferencie circuli ex utraque parte / que sit .e.d.b. quam rursus divido per equalia in puncto .f. quem dico centrum circuli esse patet per primam tercii Euclidis et per Campanum ibidem etc.

Radix quadrata aree circuli scilicet 149 est 12 $\frac{81}{100}$ fere vel in physicis 12 integri 29 minuta et 36 secunda etc.